PA 8547
M63
1832
Copy 1

Class_____

Book_____

DOBELL COLLECTION

POEMATA LATINA

SCRIPTA

VARIO METRO

VARIIS ANNIS

A T. J. MATHIAS

ANGLO

Nec desinat unquam
Tecum Graja loqui tecum Romana poesis.

PRIVATIM EXCUSA

NEAPOLI

1832.

PA8547
.M63
1832

205449
'13

Me FORTE, *Ausoniæ tractus Alpesque nivosas*
Et juga frondosi latè patris Appennini
Emensum, ad Thamesis ripas *meminisse juvabit*
Pieriosque dies et amantes carmina somnos,
Otia divitiis Arabum potiora, verendi
Quà stat SINCERI,[a] *quà divini urna* MARONIS
Alma frequens colitur propriâque subhorrida (*lauro;*
Quà, lœta ante omnes, semper mihi grata re- (*clusit*
Littora Parthenope *atque altos per saxa reces-* (*sus,*
Pausilypi *colles, myrtetaque conscia vatum,*
Dum Surrentinæ TORQUATI *ad nomen amœnæ*
Respondent valles.

a Sannazzaro.

POEMATA LATINA

VARIO METRO

VARIIS ANNIS

HONORATISSIMO VIRO

THOMÆ ORDE

BARONI DE BOLTON

etc. etc. etc.

INSULÆ

CUI NOMEN [a] VECTI

PRÆPOSITO.

ODE. *

Nec nota vulgo nec levibus sonis
Assueta, rupto Musa silentio
Te voce, quâ pollet, per oras
Vectiacas Dominum salutat
Injussa: sed te Pieridum choro
Et Gratiarum munere divitem
Compellat ultrò, nec severè
Sollicitam timet ausa frontem.

[a] Anglicè, *The Isle of Wight.*

* *Olim Scripta.*

O te beatum! cui licet integro ,
Urbis procellis et strepitu procul ,
Vacare sceptris otiosi
Imperii latebrisque gratis !
Tu quicquid usquam finibus Atticis
Amæniori aut Parthenopes sinu
Ars prisca sacravit , colendas
Relliquias melioris ævi ,
Lustrare solers audis , amabili
Ardore felix , fontibus intimis
Haurire perdoctus priornm
Ingenia et monumenta vatum.
Delatus ergo es non vagus advena ,
Nec fortuïtis auspiciis ; tuum est
Quodcunque vel molle aut venustum
Perpetuo renovare cultu.
Non illa quondam gratior Insula ,
Quam consecravit suaviloquus senex ,
Stipata Nympharum chorèis
Et vario memoranda luxu ,
In quâ , marinis illecebris potens ,
Dulci revinctum detinuit morâ
Laerte prognatum Calypso ,
Diva dolis malè fisa vanis.

Fœcunda passim littora dum petis
Mitesque terras, est ubi lætior
Natura lascivit? sub umbrâ
Seu nemorum recubare gestis,
Seu montium prærupta cacumina
Frequens pererras, dum strepitu levi
Auræque mulcentis susurro
Compositi sonat unda ponti.
Fallor? trementemne Oceani chorus
De fabuloso vertice corripit?
Fallorne? seu Numen fragoso
Nescio quid tonuit barathro?
Agnosco Numen rupibus arduis,
Numen paterni præsidium soli,
Quod nostra tutelâ perenni
Vela tulit metuenda mundo,
Exæstuantis littore Galliæ
Prudens Britannos abscidit integros,
Pacemque diffundi Britannûm
Arbitrio dedit individendo.
At quò caducus me calor arripit?
Propter Medenæ [a] mite caput tuæ
Quæ me reclinatum fatigant
Somnia Pieridum sub antro?

[a] Fluminis insularis.

Hic, in recessu Socraticæ domûs,
Bonis paratis non sine numine
  Fruare; securusque famæ
    Emeritos recolas honores.
Votis peractis vela vocant: diu
Faustum sit Ordi nomen, et Insulæ
  Firmata majestas coronâ
    Læta suâ propriâque myrto.

Ab Insulâ, Horis Septembribus.

VILLA (DICTA) FORMIANA

APUD PORTAM REGIAM IN INSULA THANETI

IN ORA MARITIMA CANTIANA

(IN ANGLIA)

SUB AUSPICIIS HENRICI BARONIS DE HOLLAND

OLIM EXTRUCTA.

ODE. *

Non fonte parco Castaliæ leves
Haustus requirunt, non juga deviæ
Frondosa perlustrant, potentes
Imperio graviore Musæ.
Ecquæ, marini conscia Numinis,
Non vel Sabinæ mollitiem volens
Fastidit umbræ, seu fluenta
Thessala, purpureosque colles?

* *Olim Scripta.*

Illisa fractis æquora rupibus
(Audin' ?) reclamant Oceano patri
  Nymphisque præsentem Camænam ,
    Et stimulo propiore versant.
Quanti ingravescunt pectoris impetus !
Per regna venti seu fragor intonat
  Undosa , seu sternit tumentes ,
    Halcyonis memor , aura fluctus.
Scenis-ne raptum talibus advenam
Admovit oris *Parthenope* suis?
  Quis laudis antiquæ recessus
    Insolitâ novitate solers
Mirè reclusit? cernis , ut undique
Musco columnæ [a] densiùs obsitæ ,
  Arcesque præruptæ minantur ,
    (Imperii simulachra fracti !)
Quà , non silendis funeribus frequens
Expertus olim Danus inhorruit
  Quid marte nativo valerent
    Indomitæ Britonum phalanges ,

[a] Versus spectat ædificia quædam , voluptatis causa extructa , passim per oram maritimam sparsa.

At dum residit clangor, et æthere
Vibrata belli fulgura concidunt
Pacata, ne desit trementi
Perfugium populo salutis,
Juxta, labanti culmine, sub piâ
Manu resurgit deciduæ domûs
Incana majestas, aviti
Relliquiæ columenque [a] cultûs.
Jam fabulosas divitis ingenî
Formas refingit dædalus artifex,
Sceptrisque Neptuni satelles
Cæruleâ spatiatur aulâ. [b]
Frustra severus, carmine quis notet
Injurioso delicias soli?
Ah parce, Lucîli, [c] precamur,
Fulmineâ metuende linguâ.
Non hìc nefandis criminibus minax,
Surdove pectus verbere concutit
Erynnis ultrix: eruditi
Fusa vides monumenta luxûs

a Monasterium.

b Aula Neptuni in Villa.

c *Gray;* vide Poema Satiricum *in Villam Baronis de Holland.*

Honestiori sub specie ; tenet
Imago mentem lætior , et modis
  Vix ante quæsitis voluptas
    Augurio meliore ridet.
Me , lenioris per sapientiæ
Secreta ductum , littoribus sacris
  Natura mulcet , nec caduci
    Temporis immemorem per omnes
Curasque et umbras ire levem sinit ,
Celsisque honorem frontibus admonet
  Lugere decussum , et profani
    Ludibrium diadema vulgi.
Nomen sed altum est , sed vigor igneus ,
Rerum superstes fama , nec imperi
  Frangenda compages Britannis ,
    Et procerum bene junctus ordo.
Nobis marino spes Capitolio ;
Nobis relucens , auspicibus sacris
  Innixa , Libertas potenti
    Jam populo pia jura firmat.

VIRO CLARISSIMO AMICISSIMO

POETÆ CRITICO EXIMIO

PRINCIPIBUS IN REPUBLICA ITALIÆ LITERARIA

SUI SÆCULI VIRIS

CARISSIMO ET CONJUNCTISSIMO

DE REPUBLICA LITERARIA ET IPSO BENE MERITO

LODOVICO GODARD

INTER ARCADAS *CIMANTI MICENIO*

CUSTODI ARCADIÆ GENERALI

INTEGRA ET MENTE ET LAUDE

PROVECTIOREM ÆTATEM

NEC INHONORATAM NEC CARENTEM CITHARA

PLACIDÈ PIÈ ET SAPIENTER DEGENTI

AMICITIÆ ERGO

T. J. MATHIAS

(ANGLUS)

INTER ARCADAS *LARISUS SALAMINIVS.*

ROMÆ

Mense Martio 1818.

ODE.

Nascentis Astri [a] carmine præscio
Vates salutent aureolum jubar,
Vel axe de summo profusam
Flumine fervidiore lucem;

Solem diei fræna solutiùs
Attemperantem numine conscio,
Cursuque sublimi peracto,
Hesperiâ veneramur aulâ.
Cimanta [b], sic te, te Pylio lubens
Ævo disertum Musa vocat suum,
Quæ nuper Arctois in oris,
Pierio recreata luco,
Ausa est *Britannis* clariùs Italo
Tractare plectro non solitum melos;
Nunc læta, quà flavam recumbit
Propter aquam Tiberinus urnâ,
Modis Sabinis te meritâ diù
Incana vinctum tempora laureâ
Salutat, o tutela lenis
Arcadiæ nemorisque sacri!
O si sub alto pectore concitus
Talis canenti spiritus et calor
Rediret! - ut prægrandis olim,
Augurio graviore pollens,
Camæna MANSO [c] risit; at æmula
Maronis ipsa et Mæonii senis
Cantavit, et nativa priscis
Flumina personuere chordis.

Vides-ne, qualis nube sub aureâ
Præfulget antro [d] Parrhasio chorus?
Vides-ne? te spectat potentem
Castalidum et patriæ modorum.
Te lætus ambit cælicolûm comes
Franciscus [e], alto jam propior polo;
En! Spectra qui fracto reclusit
Turbida *Pentelicus f* sepulchro
Furore docto percitus *, ut tuo
Jam tendit almo colloquio frui!
Te, quæ redonavit stupenti
Italiæ veterem cothurnum,
Severiorem docta Tragœdiam,
Astensis g ** ultro Musa iterum petit!
Audis-ne? cælo temperavit
Barbiton aërium *** *Merontes h*:
» Et tu invocasti (sic canit) Atticas,
Cimanta, Musas; te patrium melos
Fundente, subrisit serenùm
Elysiâ Venusinus [i] umbrâ.

* *Alessandro Verri.* ** *Alfieri.*
*** *Cesarotti.*

» *Hìc*, dum renati Phidiacæ manûs
Spirant labores, dum proprio Jovi
Dicata jam rursus, Britannûm
Auspiciis, simulachra surgunt,
» Dum pace non jam credula perfidâ
Pulsâ fruuntur regna tyrannide,
Magnusque sæc'lorum revolvens
Nascitur et renovatur ordo,
» Beate, salvè! collibus in tuis
Et nota propter flumina tu sacrâ
Fruère famâ, non silendo
Docte Senex memorande sæclo!
» Dum tuta, molli fusa sub arbuto,
Spargensque lauri prodiga ramulos,
Res URBIS ÆTERNÆ recantat
Parrhasiæ pia Musa silvæ. »

NOTÆ.

a Pindarus solem appellat, Αστρον.

b Cimantes Micenius, Nomen Cl. L. Godard inter Arcadas. *Cimanta*, Vocativ. Græc. *Doricè*.

c Vide Poema Latinum versu scriptum heroico, cui titulus MANSUS, quo, munere et signis et tabulis et auro potiore, MANSUM, Marchionem Villensem, nobilem et eruditum senem, Torquati *Tassi* et *Marini* amicum et biographum, tunc temporis *Neapoli* commorantem, consuetudinis memor gratissimæ sponte ditavit MILTONUS. Carmen profectò ex intimis poeseôs eductum fontibus; stylo gravi, venusto, facundo, limato judicio, et rerum et verborum ubertate adéo insigni, ut exinde MANSO non obscuré innotesceret, quantus olim inter Italos, Italorum cultor, versaretur BRITANNUS.

d Academia Arcadum, seu *Arcadia*, seu *Nemus Parrhasium*. Verbis eruditissimi *Gravinæ*, Italis doctioribus licet notissimis, *mihi extero* uti concedatur: » *Institutus fuit* in Urbe Româ, A. D. 1690, *Eruditorum Hominum Cœtus*, qui vernis et æstivis feriis (quo tempore a forensibus studiis et urbanis rebus honestè vacatur) convenientes aliquando in hortos, et animum ad amæniores Musas traducentes, nomine et scriptis *pastoritiam* simplicitatem præ

se ferrent, et in eo consessu *Arcadicos* * mores agrestisque vitæ speciem, sublato gradûs et loci discrimine, præberet. » Vid. Cl. *Gravinæ* (inter Arcadas *Opici Erymanthæi*) pro Legibus Arcadum Orationem.

Libet etiam honoris ergo, *Dircæi* illius Cigni ** (quem per æthereos Ausoniæ tractus multa nuper levabat aura) dum Arcadiam suam dilectissimam propriâ linguâ ditaret, vocem proferre, tanta in illo inerat enarrandi facultas, tantum in ornando judicium:

« *Nell' Accademia degli Arcadi*, ne' primi anni della Instituzione. si trattarono tutti i soggetti, tutti gli stili si cultivarono; il pensato, il grandioso, il galante, l'ingegnoso, il disinvolto, il vibrato, l'immaginoso, il fantastico, generi o ignoti o sospetti, figurarono accanto del semplice non disadorno e del modesto toccante. La Pastorale si nobilitò senza perdere l'innocenti sue grazie; la Lirica imparò a toccare con ugual maestria tutte le sue corde. Alle voci dell'amabile Zappi, del fatidico Guidi, e degli altri illustri figli o alunni del Tebro, accorsero i migliori ingegni d'Italia. L'Arcadia aperse il suo seno, e si popolò di nuovi cittadini tutti animati del medesimo spirito; il Bosco Parrasio eccheggiò al suono di cento cigni diversi, e i loro canti diversamente discordi, le zampogne, le trombe, i flauti, le cetere

* Vid. Polyb. Hist. l. 4. de Arcadia antiqua.

** Cesarotti.

formarono un' armonia infinitamente varia ed incantatrice, invidiabile al Parnaso stesso. »

Cesarotti, *Discorso agli Arcadi.*

Sub auspiciis profectò Christinæ Sveciæ Reginæ et Clementis XI. Pontificis Maximi, adeo crevit Arcadum Academia, et tantus et tam frequens omnium undequaque consentientium poetarum, oratorum, criticorum, et in omni doctrinarum genere eruditissimorum, et procerum et optimatum prosapiâ et opibus illustrium, cœtus fuit et consessus, ut si, per titulos fastosque memores, priscorum Arcadum nomine aut scriptos aut insignitos perpendamus libros, fateamur necesse est, vel verbis Ciceronis, exortam esse Academiam « *è cujus ludo meri Principes exierunt.* »

e Franciscus Jacquier, Astronomus et Mathematicus insignis, Auctor Commentariorum in Newtoni Principia: nomine *Arcadico* dictus Diophantus.

f Alexander Veeri, Auctor operis omni præconio dignissimi, cui titulus, « *Notti Romane al sepolcro de' Scipioni;* » inter Arcadas Aristander Pentelicus.

g Alfieri, ex urbe *Asti*, Pedemontana.

h Cesarotti inter Arcadas dictus *Merontes Larissæus.*

i Spectat Odas Horatii a Cl. Arcade, Arcadiæ Custode Generali, L. Godard, linguæ utriusque sermonis apprimè docto, curiosâ olim felicitate versu donatas Italico, linguâ et stylo et spiritu propriis, cupresso et cedro dignissimas, nondum tamen in publicum emissas.

VIRO VENERATISSIMO ERUDITISSIMO

JOSEPHO CAPYCIOLATRO

TARENTINORUM OLIM PONTIFICI

Τῳ Ἀγαπητῳ

AUCTORI DISSERTATIONIS

DE ANTIQUITATE ET VARIA CAPYCIORUM FORTUNA

ANNUM AGENTI ÆTATIS SUÆ LXXXVI

1830.

GRANDE facundæ pretium est senectæ :
Hic Capycìnam vigil ad favillam
Semper adstabit graviore custos
Fama sigillo.
Invidi frustra numerantur anni ;
Flore sub lento tibi servat ætas
Aureos mores vegetæque adultum
Mentis acumen.
Rite *Sebeto patrio* sacrâsti
Debitos priscis titulis honores
Doctus antistes, et in omne Præsul
Nobilis ævum.

Neapoli
Die 12 Mensis Augusti
1830. T. M.

VIRO VENERATISSIMO ERUDITISSIMO

JOSEPHO CAPYCIOLATRO

SENIORI TARENTINORUM PONTIFICI

etc. etc. etc.

SALVE, Chalcidicæ non ultima gloria terræ,
Ante alios dilecte Senex! quacumque per orbem
Capyciûm decus et nomen celebrabitur altum,
Et præclara *tui* succrescet fama *Tarenti*,
Tu quoque in ora virûm venies plausumque bo-
(norum.
Tu Patriæ vigil antistes; tuque impiger olim,
Dum dubiâ quidquam pro libertate decebat,
Secretum per iter doctæque silentia vitæ
Fataque et annales veterum *Romæque* recensens,
Audis *Sebeti Vindex*! Sanctissime Præsul,
Spesque inter gentisque tuæ solennia vota,

*

Hinc tandem, haud vanæ permensus tempora (vitæ
Et satur annorum, Hebræi tu Vatis ad instar
Impavidus poteris *Nebonis* adire cacumen,
Quo te pura vocat pietas, et conscia virtus,
Et firmata fides Sacraï Scripturaï.

Vive, vale! sint justa tuæ data munera laudi:
Et mea tantorum Musa haud ignara laborum
(Arctoo nutrita licet peregrina sub axe)
Te *veniente* anno te *decedente* salutet.

Neapoli
Die 31 Dicembris
1830.

T. J. MATHIAS
Anglus.

IN EFFIGIEM

VENERATISSIMI ET ORNATISSIMI VIRI

JOSEPHI CAPYCIOLATRO

SENIORIS TARENTINORUM PONTIFICIS

anno ætatis 88

A CELEBERRIMO PICTORE RUSSO BRULOFF

SUMMO ARTIFICIO CURIOSA FELICITATE

AD VIVUM EXPRESSAM.

Aspice! - non animum picturâ pascis inani;
Spirat amor veri. Lento sub flore senectam
Vernantem, et Pylios venerandæ frontis honores
Ingeniumque ardens, et adultum mentis acumen
Præsulis augusti agnoscas, vultumque benignum.
Quòd si Chalcidicæ jam non novus incola terræ
Adsis, tu, docilis numerorum vatis Horati,
« *Dicas adductum propiùs frondere Tarentum.* »

Neapoli
Die 25 Decembris
1831.

T. M.

MONASTERIUM DILAPSUM

ELEGIA *

OLIM SCRIPTA.

Deposuit pelagi clementior aura furorem,
Et languet nullo carbasus acta noto,
Cymba levis summas jam vix perlabitur undas,
Dum frustrà impatiens flamina nauta vocat.
Sic nox alma silet, medio mitissima lapsu;
Tam placida ad cælos sublevat aura pium,
Irrita quum fugiens fluxæ ludibria vitæ
Sanctus inoffensi non tremit ora Dei.

Vos, umbræ notæ, noti ô salvete recessus!
Vicina innocui quos lavat unda maris,
Quos sacratæ arces nutanti vertice signant,
Splendoris prisci quà monumenta labant,
Pinnarum volvuntur humi quà culmina fracta,
Erranti temerè nuper amica rati.

* Partim desumpta e poemate *Anglicè* scripto cui nomen *Netley Abbey*.

Heu! sede augustâ quantùm mutantur ab illâ,
Quam quondam coluit relligionis honos!
Quam tenuere patres pede nudi, vertice tonsi,
Et populum cultûs edocuere modos.
Hic evexerunt, fugientes ludicra mundi,
In cælum sanctos somnia sancta patres;
Hic ventura Dei tentârunt gaudia pectus,
Defletis vitiis quà reditura quies.
Ignibus aeternis quò nunc altaria fumant?
Quòve adytis abiit triste pavore decus?
Flammæ prælucent tremulæ non amplius aræ
Praesidio miseris, perfugioque reis.
Ampliùs haud Bonitas, virtutum prima sororum,
Leniter arridens pandit amica fores,
Nec fovet afflictos, haud illa ignara malorum,
Excipit aut miseros hospita grata sinu.
Matutina silet campana, cubilibus olim
Quae monuit canos membra levare senes;
Cereus haud tremulâ per mœnia luce renidet
Circà vicinos irradiare lares.
Auratæ non jam cari seu martyris aræ,
Sive tholi, insanas advena spectat opes,
Nullæ relliquiæ curas solantur aniles,
Longinquæ tandem merx pretiumque viæ.

Nunc passim desertæ umbræ, et nemora alta (quiescunt,
Non referunt pleni carmina nota chori,
Nec patres, turbâ latè stipante canentûm,
Supplice et exorant voce genuque crucem.
Vicinisque undis non jam spectacula pompæ
Lucis et umbrarum dant retegenda vices;
Non jam nauta manu mittit formidine proram
Insolitâ tactus relligione loci;
Per moles ululat quassas vis turbida venti,
Et rauco ripis murmurat unda sono.
Dum loquor, inducunt tranquilla crepuscula (noctem:
Aspice, ut extremo est tincta rubore dies!
Hesperus et placidi sub amœna silentia cœli
Imbelle at spargit mite per arva jubar.
Ah, fallor? luditne agitatam insania mentem,
An videor veterum spectra videre patrum?
Passibus ambiguis (ea sit num cura sepultis?)
Incertùm visant an loca nota prius?
Agnosco procerum volitantia spectra virorum;
En, ut sancta (viden'?) fletibus ora rigant:
O licet aggrediar Formæ vos voce verendæ,
O libet auditos ferre referre sonos:

Dicite, non vobis sententia dia futuri
Tantumne est olim vaticinata nefas?
Non fratrum extorris cecinit solennia rapta
Ordinis, eversos præmonuitque lares?
Quò spes firmâstis vanas, quove omine vota
Famæ mansuræ perpetuæve domûs?
Quò splendor? quò prisca fides? altaria narrant
Diruta sacrilegæ regia furta manûs.
Audistin'? lugubre sonant suspiria! — mecum
Desertum graviter plangere visa nemus
Spectra volant iterum, somno velut orta fugaci,
Et, longâ ut lateant pace, sepulchra petunt.
Aspicis hìc varios casus mutabilis aevi,
Atque, homo, perpetuum quod struis ipse,
(putes?
Hanc modo, vane augur! dilapsam conspice
(molem,
Quam regis posuit, quam pietatis, opus.
Vos tandem ô arces, ô tecta sacrata, valete:
Culminaque augusti sparsa, valete, tholi!
Cumque dies aderit (precor ô concedite) Vatis
Relliquias vestri claustra verenda tegant:
Ultrò hìc delatus meditatur, vester ut urnam,
Quæ condit cineres, usque recondat amor.

———

PSITTACUS.

Cum diù multùmque ab amico suo Psittacum sibi dari flagitâsset Orator Publicus Academiæ Cantabrigiensis, ab exteris tandem regionibus iu Angliam delata est avis; quam, in domo quâdam regiâ hospitio acceptam, neglexit, nec avi (ut par erat) gratulatus est Orator. Exinde, iracundior incertùm an mæstior, versiculos hosce temerè effudisse fertur Psittacus.

ORATOREM PUBLICUM
ACCADEMIÆ CANTABRIGIENSIS
SERVULI SUI VERSICOLORIS
IN ANGLIA JAM COMMORANTIS
DIUTIUS IMMEMOREM
JAMBO ARMATUS PROPRIO
COMPELLAT
PSITTACUS PSEUDO-ARCHILOCHÆUS.

Quid me immerentem nœniis procacibus,
Rhetor togate, provocas?
Longinqua ponti pervagatus æquora
Et fervidas anni vias,
Mei requirens solis aureum jubar,
Lumen *meorum* siderum,

Suavesque campos, aura quos mulcet tepens
Et ambit æther largior ;
Torpente linguâ, nec subacto spiritu,
Plumâque jam subhorridâ,
Frigentioris hospes adsum littoris,
Ignotus, exul, impotens,
Nec Χαιρε solum reddidisti Psittaco.
Promissa quò cadunt tua ?
Quò prisca virtus ? vota quò frequentia
Quæ lingua torsit arrogans ?
At non dicacis nomen audax assequor,
Me fata solantur mea ;
Tecto superstes integer sub regio
Plebis resigno munera.
Quin tu supinus interim rides minas
Superbientis Psittaci.
Docili-ne forsan, Rhetor, invides sono
Natura quem dat libera,
Quòd de officinâ scilicet ductum tuâ,
Nugis refertâ splendidis,
Nec torqueam enthymèma, nec meus scholis
Sermo rotatus evolet ?
Sed parce : me tutatur Atlantis nepos,
Et arte formabit suâ.

Inane si te purpuræ tangat decus ,
Collove præfulgens meo
Nitor smaragdi , parce : non ferox ego ,
Non Gallicâ præfervidum
Rabie tumescit pectus ; at mitem volens
Mitis magistrum poscerem.
Sic me , paratum molliore vinculo ,
Blandâque , quâ semper solet ,
Tua *Isabella* voce delicatulè
Et osculis demulceat ,
Protervitate dum frequens gratissimâ
Balbutit infantum cohors.
Ah ! triste quàm sit negligi , recolligas :
Non *Granta* dicenti tibi
Aut segnis aut oblita defuit : colas ,
Precor , coloratum caput ;
Facundiæque factus ipse particeps ,
Et voce gestuque æmulus ,
Inter togatos mox receptus ordines
Vel Tullianus audiam.

LUCTUS FELINI

OB MORTEM *

FELIUM DILECTISSIMORUM

NOMINATIM

COLUMBINA, PANTALONE, OTELLO,

INTER DELICIAS

SENIORIS TARENTINORUM PONTIFICIS,

Clarorum (*Felium*) facta moresque posteris tradere antiquitùs usitatum.

TACITUS.

* Annis 1830. — 31.

MORS OTELLI *

FELIS DILECTISSIMI.

Φευ, πονος αμφι πονω μεν επερχεται · η μαλα λυγρης
Πευθομαι αγγελιης, ή εχ ωφελλε γενεσθαι ·
Κεισαι, ΟΤΕΛΛΕ φεριστε, μεγας μεγαλωστι τανυσθεις!
Και μεν ετι ζωον γοον ῳ ενι οικω Οτελλον
Εικαλιαι Νυμφαι · πολυδακρυτω δ'επι τυμβω
Μνημα πόθων και μνημα φιλοφροσυνης ερατεινης
Ξπενδει ΙΩΞΗΦΟΞ · θειογλωσσων δ'απο δελτων
Ειπε, σοφη θανατοιο παραινεσις ανθρωποισι.

Τῳ Αριστευοντος εν ζωοις
ΟΤΕΛΛΟΥ
Μεμνημενος
Τ. Μ.

Εν Νεαπολει
Εκατομβαιωνος XV
Ετει 1831.

Mensis Julii
Die XV. 1831.

* Felis coloris nigri, formæ amplioris.

AD PANTALONEM a

BIBLIOTHECÆ CAPECIANÆ

PRÆFECTUM ET CUSTODEM

MORTUO JAM OTELLO.

Venustissime Felium, quot olim
Fuere, aut aliis erunt in annis,
Ille, heu, deliciæ Capecianæ,
Tutamen solitum tui Patroni,
Ipso Memnone nigrior, feroxque,
Qui dorso gradiens superbiente
Ad solum Dominum usque ventitabat,
Otellus per iter tenebricosum
Ad sedes volitavit altiores!
At Tu, cui Veneres Cupidinesque
Riserunt faciles, eburneoque
Collo et crine nitens pereleganti,
Somno mollior, alme Pantalone,
Petas Elysii vireta serus;

a Felem generis Angoræ, nivei coloris, formosissimum carissimum Seniori Tarentinorum Pontifici.

Nam tu præsidium decusque restas
Tam cari capitis Capeciani;
Tu desiderio tui sodalis,
Oro, pone modum; voluminum tu
Custos integer optimi Patroni,
Quem, scis, sub titulo perenniore
Priscum Patria vindicem salutat.
Sic fotum gremio sacratiori
Te curas videam Capecianas
Mulcentem lepido tuo susurro.

T. M.

Neapoli Die XV Julli 1831.

VIRO VENERATISSIMO ERUDITISSIMO

JOSEPHO CAPYCIOLATRO

TARENTINORUM OLIM PONTIFICI

Τῷ Ἀγαπητῷ

etc. etc. etc.

OB OTELLUM MORTUUM

FELEM DILECTISSIMUM.

Dum fata et sortem gemis armipotentis Otelli
(Nam decus ille tuum et casu tutamen *in omni)
Ut par est, fletu felis quo dignior usquam
Non fuit in terris, nigri di semine cretus
Memnonis antiqui, qui glaucis torvus ocellis,
Tangere dignatus vix fercula dente superbo,
Patroni ad mensam convivas circumspexit;
Tu precor, ah, mitis curam gere Pantaloni,
Illi fulgor adest, niveo nec forma recedit.
Esto, habeant quercus sua robora, vere recenti
Sunt molles violæ, sunt languentes hyacynthi.
Illi etenim (Samiis liceat modo credere chartis)

* Otellus, dictus Italicè, *Guardia del corpo.*

Panthoïdes Euphorbus [a] avus, confossus Atridæ
Immitis telo Trojæ sub mœnibus ipsis,
Cui pastoralis potior vel cuspide myrtus,
Nympharumque choro et Veneri sacratior almæ.
Ipse etiam, dum fata nimis præsentia sensit,
Mœrentem moriens socium est solatus Otellus;
(Pieridum monita hæc credas) «Me tristia ducunt
Auguria et lethi non evitabilis hora;
Sunt sua fata homini, data erunt quoque funera (feli,
« Quamvis ipse niger, quamvis tu candidus (esses. »
Non ego ad Æthiopas, super aut Garamantas (et Indos
Imperium accedo; mea quondam insignia pono,
Nunc tua sunt — Formose vale, mî Panta- (lone!
Ah quoties dixi, sua sunt pia munera Paci,
Dum circumgradiens *sanctâ* bellator *in aulâ*
Te, te Musarum comitem cui carmina cordi,
Accepi agnovique libens, dum cara Patroni
Sebeti ad ripas recolenda volumina servas,
Quæque Palatinus doctis commendat Apollo.

[a] Hom. Il. p. v. 64.

Sed nox nulla diem neque noctem aurora se-
(quetur
Quæ, *sanctos aditus* inter laquecataque tecta,
Non resonet decora, in longum mansura per
(ævum,
Memnonii genus et famam armipotentis Otelli.
Nec tu lethæo continguas ora liquore,
Nam *Mitissa* memor, tua quondam Colombina,
Elysium colit; ah nunc sint *tria* [a] nomina jun-
(cta,
Nec Pantalono divisum nomen Otelli. »

——

Audiit hæec nuper, venerandi ad Prœsulis
(*ædes*,
Carmina Sebetus, jussitque ediscere Phœbum.

[a] Otello, Pantalone, Colombina. Vive, Vale.

T. J. MATHIAS.

Diebus OTELLI *parentalibus rite absolutis,*
Conclamatum est:
Sic, o, sic positum affati discedite OTELLUM.

Neapoli Die XVI Julii 1831.

LUCTUS

OB MORTUUM PANTALONUM

FELEM GENERIS ANGORÆ SENIORI TARENTINORUM

PONTIFICI CARISSIMUM

FORMA ADEO EGREGIA ET INDOLE

ADEO MITI ET AMABILI UT NIHIL SUPRA.

Die 8 Junii 1832

Mortalitatem Explevit.

Ευλυτα διαπαντος στεργηθρα φρενων.

EURIPIDES.

Incassùm flendo nos ducimus horas ;
Namque brevi spatio mutantur sæcla animantum
Atque, ut cursores, vitai lampada tradunt.

EXCELLENTISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

DOMINO JOSEPHO CAPYCIOLATRO

SENIORI TARENTINORUM PONTIFICI
etc. etc. etc.

OB MORTUUM PANTALONUM

FELEM FORMOSISSIMUM DILECTISSIMUM.

Ter sonuit sacras tristis campana per ædes;
Felini extincta est gloria prima chori!
Nec nivei vultûs nitor aut radiantis ocelli
Profuit, aut lævi fronte caducus honos,
Nec vel, rara adeò, formoso in corpore virtus,
Nec, tam conspicuæ, gratia, cura, fides:
Mors, quæ decutiet capiti diademata, tandem
Heu! *Pantalonum* sustulit atra *tuum*.
Demessum querimur tenero sic pollice florem,
Seu, Narcisse, tuum, sive, Hyacinthe, tuum.
Ite, breves Elegi, cultas ad Præsulis aures,
Carmina dilecto ferte legenda viro.
Si Musa Euphorbum [a] cecinit Smyrnæa decorum,
Si plorata diù Daphnidis urna fuit,

a Hom. Il. 17. v. 50.

Carmine Sicelico si vivunt fata Bionis,
Flevit et Æmilium maxima Roma suum,
Nec te vel Felem pudeat lugere sodalem
Qui gremio sedit, cura diurna, tuo;
Ne pudeat; *triplici* [a] quondam custode beatum
Non te deliciæ dedecuere tuæ;
Seu Veneri affulsit gratissima *Colombina*,
Quæ sobolem pulchram, pulchrior ipsa, tulit;
Seu torvum explicuit vultum bellator *Otellus*,
Vultum vel sacris regibus usque trucem,
Sed, velut in cælis gladio mansuescit Orion,
Sic *Pantalono* risit et ille *tuo*.

Nunc ad te et tua, sancte Pater, præcepta revertor
Immemores monitu quæ graviore movent.
Stat fati cunctis non evitabilis hora;
Sive colas risus innocuosque sales,
Publica seu volvas vatum monumenta priorum,
Seu tua pieriis ora rigentur aquis,

[a] Italicè,
Colombina, Pantalone, ed Otello.

Seu vel in antiquam virtutem animosque Italo-
(rum
Pectora desuetos jam revocanda voces.
Ah, sit sera dies, quum te, venerande Sacerdos,
Sebeti ad ripas te tua fata prement;
Sed Virtus, meriti quæ prima atque optima
(merces
Oblitam Patriam non volet esse tui.
Nec tu Pieridum solatia grata recuses,
Accipe, vel facilis, quod potuere Deæ
Quælaribus vestris partem versantur in omnem,
Neve sinunt sancto numen abesse loco.

Vive, Vale,
Præsul Ornatissime, Sanctissime,
Tui nunquam non observantissimus
Servus et Amicus
T. J. MATHIAS
Anglus.

Neapoli
Die XI Junii
1832.

Του

Εν Τη Αρκαδιᾳ

Τῃ εν Ρωμῃ

ΛΑΡΙΣΟΥ ΣΑΛΑΜΙΝΙΟΥ

Ευχωλη.

Χαιρε μοι ὑστατιον, και εν Ηλυσιῳ λειμωνι,
ΣΠΕΝΣΕΡ, [a] εμῳ θυμῳ λιγυμολπων αρχος
(αοιδων,
Ου μεν σεῖο λελασμενος εσσομαι, ουτε παρ'
(οχθας
Θυμβριδος ευ'ρρεϊταο, και Αρνε αγλαον ὑδωρ,
Ουρεα τε σκιοεντα θαλασσην τ' αργυροδινην
Παρθενοπῆς ανα κολπον επῆρατον, ουδ' ὀθι
(δεινη
Φλοξ ῥοιζηδον ελαμψεν ερισμαραγοιο Βεσηβε.
Ηρεμα Σειρηνης οπα λειριοεσσαν ακουων
Χωρω εν ἱμεροεντι μεθ' ἡδυμελεῖ κηληθμῳ,
Μουσαων τε παρεδρος εων πτερυγεσσιν αερθεις,
Ψυχης ομμα φαεῖνον ὑπερ ἑιστοιο τιταινων,

a E. Spenser, auctor Poematis Anglici « *The Fairy Queen*.

Ὁσσα νεων μελεδημαθ' ἑπερχομαι, ὁσσα
(παλαιων,
Πιεριδων φωνημα και οφρυοεσσαν αοιδην,
Ευεπιης δωρον πολυ φιλτατον. Αλλ' Υγιεῖα,
Φαινε, συνοικος εσσα, σε μεν καλω ἡσυχα
(Δαιμον,
Πολλαι γαρ βιοτοιο πολυπλαγκτοιο μεριμναι,
Ελπιδες αχραντοι, μεταμωλια παντοθι παντα,
Νουσοι τε, στοναχαι τε, και αλγεα, των
(δ' αδοκητων
Κυκλος αειδινητος. Ανασσα δε χαιρ' Υγιεῖα,
Μητερ Μνημοσυνης, αμπαυμα τε μερμηραων!
Και με φιλον Χαριτεσσιν αγοι πολυμητις
(Αθηνη
Ειθε παρ' Ιλισσοιο πορον και ναματα Διρκης,
Θυμβριδατε, Θαμεσιντε, και Αρνε ἱερον ὑδωρ·
Χαιρετε νυν, ποταμων Φοιβω πόλυ φιλτατοι
(αλλων!

Τ. Μ.

Νεαπόλει
αωκζ.

VIRO PER EUROPAM CELEBERRIMO

GUALTERO SCOTT,

PATRIÆ ORNAMENTO

POETÆ, HISTORICO,
ET FABULARUM
ADEÒ FACETÈ VENUSTÈ ELEGANTER ET SCITÈ
INVENTARUM ET CONTEXTARUM
UT NIHIL SUPRA,
SCRIPTORI EXIMIO UNICO,
NEAPOLI JAM COMMORANTI.

ERRANTEM canerent *Sebeti* ad flumina Sco-
(TUM
Haroldus 1 tibi dilecti 2 *Morusque* poetæ,
Si foret in vivis *Haroldus*, et alter adesset.
Fata obstant; - tenui mihi carmine (munere
(inani
Quantum Musa potest incondita) dicere prom-
(ptum est,
In montes proprios ut duxerit æmula *Siren*,
Utque viro Phœbi chorus assurrexerit omnis * *a*

1. Lord Byron. — 2. Thomas Moore.

a Versus signati notâ adaptati sunt, honoris ergo, de Virgilio.

Tot merita altisonâ testatus voce per auras;
« Quæ regio in terris *vestri* non plena laboris? *
» Phœbeâ Europam lustrâsti lampade, vivo
» Lumine, et ingenio; et jam vel Garamantes
(et Indi
« Eloquii largo perfusi flumine gaudent.
« Quinetiam has quondam pervenit *Thyrsis* 1
(in oras,
» Clarus Hyperboreo juvenis peregrinus ab axe;
» Adventûs nec te pigeat, facunde Poeta.
» En; tibi *Torquati* assurgit reverentior Um-
(bra!
» Ille quoque, aspergens musæo cuncta lepore,
» *Ferrarensis* ait, divino carmine notus,
» Venisti? et dudum *nos*, expectate, requiris?
» Accedas; fatis Italûm est tibi debita tellus, *
» Quà te digna manent annalibus eruta priscis,
» Dum reserata patet renovandæ porta salutis,
» Quo magis Italiâ tandem lætere repertâ. *
» Tu Britonum decus, et longum salvere per
(ævum
» Te jubet Italia, et vatum chorus impiger om-
(nis

1. Milton, V. Epitaphium Dâmonis.

» Inter odoratas lauros pæana canentum;
» Parthenope te dulcis alet, Scotumque sacrabit
» Florentem famâ et studiis prænobilis oti. »

Neapoli
Die 2 Januarii
1832.

T. J. MATHIAS
Anglus.

ORNATISSIMO ET CULTISSIMO VIRO

THOMÆ STEWART

SALUTEM.

Sept. 1829.

Quà *Surrentinas* olim TORQUATUS ad oras,
Italici decus eloquii, de pectore pleno
Dicitur excussisse Deum,

In his ipsis locis mihi amiculo tuo, locorum religione commoto, modò in reductis vallibus, modò inter clivos confragosos præruptos, modò inter virgulta silvis sonantia, spatiari jamdudum placuit; et ignotus sim licèt atque inglorius, *regio* [a] tamen receptus et honestatus *hospitio*, officiis lætioribus me constrictum sentio.

Dum tu forsitan, ad oram *maris castellatam*, [b] inter otia et delicias et eruditum luxum, gressu leniter superbiente μεσοπολος incedis, ardentiore, quo soles, ingenio nescio quid meditans famæ et fortunæ, vel instantis vel futuræ, aut artium elegantiorum, quibus summa claritudo paratur, amore perculsus, te volens alloquor: et si fortè vel leporum tantorum de fonte amari

[a] Domo lepidè dictâ, *Reginæ Surrentinæ*. [b] Castellamare.

aliquid inopinatò surgat, medicamenta quædam libenter offerrem, illa scilícet

Φαρμακ' ἀ κεν παυσησι μελαιναων οδυναων.

At mihi tantum munus vix concessum esse arbitror, dum tu philosophiam et musas severiores et literas comites et consortes habeas,

Flumina seu *fingas* præterlabentis Ilissi,
Aut fluere attonitum Thamesina ad littora (Tibrim,
Sive Isim glaucâ *Floræ* canescere sylvâ,
Dogmata seu volvas Sacraï Scripturaï,
Fallacis vires ultra sortemque Juventæ
Securus, posito graiorum errore sophorum.

Sed non verborum magnificentiâ literarum cursum et dignitatem metiri velim, sed studio, sed curâ, sed diligentiâ, sed ratione ad virtutem veram compositâ, quo firmiores adversus fortuita lubricum vitæ iter mortales ingrediantur, et in omni officio sibimetipsis finem dignum et optimis viris et operibus sanctissimis proponant, ut exinde nec inanis nec umbratilis exoriatur gloria;

Lucida sideribus licèt alma Aurora resurgat,
Sol medio poscit fortius axe jubar.

Facetiæ autem quædam et festivitates etiam adhibendæ sunt, quibus et morum et scriptorum severitas temperetur; non enim pallio solo aut supercilio denotatur vel poeta vel philosophus. Idcirco, quòd iterum atque iterum volvendam esse *Italorum* grandem illam et suaviloquam poesim statuas, nec summis labris, sed impigrè, *Bitiæ Mantuani* instar, haurire pateram spumantem et auro pleniore teipsum proluere in animo sit, magnoperè gaudeo et oblector. Quis enim, nisi insulsus, in hisce studiis amænioribus se planè hospitem velit? aut quis id sibi dedecori fore, aut horis inertibus solummodo aptum esse, existumet, quod *Spenservo*, et *Miltono*, et *Grayo* in gloriam olim cesserit atque ornamentum? Adeundi sunt igitur Tiberis, et Sebetus, et Arnus; Fæsulani etiam colles invisendi nec dubiâ insistendi sunt plantâ.

Colas ergo inprimis et observes Illum, quem unum et solum in immensâ illâ vastitate cernere videmur, Dantem Alighierium, vi mentis vividâ et victrice, arctis Naturæ

claustris confractis, modò extra mundi mœnia, modò per oras cælestes in æternùm serenas, progressum et peragrantem, vatem primarium, linguæ et poeseôs Italicæ patrem et inventorem, in omne ævum lampada inextinctam præ se ferentem, et poetis, tantum mare ingressis, sinus pandentem, et totâ quasi veste in gremium proprium Italos temerè errantes amicè revocantem, DANTEM scilicet ALIGHERIUM : colas etiam et observes Petrarcam, et Ferrarensem, et Torquatum, et Savonensem, et alios complures, (quales et quantos !)

Dextrâ lævâque per *Arni*
Convalles, lætumque choro pæana canentes
Inter odoratum lauri nemus.

Tanti autem vates non, sciolorum more, calamo ut aiunt currente, sed gravioribus auspiciis fide poetici muneris manifestatâ, sed animis doctrinâ variâ et solidâ coloratis atque roboratis, modò tubâ modò lyrâ majore ad cantandum sese accinxerunt, nunquam (ut critici perelegantis verbis utar) nisi ingenti flumine literarum inundati. Talia et tanta, latè in

omne ævum profutura, exempla coram ante oculos eruditorum proposita sunt, proprio lumine manifesta,

Liceatque agnoscere vultus
Velataſque comas vatum præsentiaque ora.

Hoc etiam in primis mihi observandum esse duxi, quòd, inter dicendi magistros et effectores *Graios*, quoties ad quoddam styli limatioris opus sese parare voluerint, vocabulum illud αφελειαν in animis nunquam non versari; quasi ad operis formam stabilem et perfectam existimaverint præcipuè, immo maxime, pertinere illud, quod auctor subacto judicio et ingenio subtiliore de propriis scriptis *tollat*, si quid forsan minus aptè irrepserit; humani scilicet ingenii proprium esse libentius illud meminisse quod derideri quam quod probari potest. Aureum illud dictum depascatur quicumque ad scribendum dignè sese conferre voluerit. Sed tibi, in studiis gravioribus versato, nec monitore nec judicio alieno opus est; et mihi receptui canendum est; et si quid forsan, caduco quodam calore arreptus temerè, aut li-

berius aut audentius ipse scripserim, amicitiæ ergo condonandum esse et spero et existimo.

Vive, Vale, Vir amicissime,
Tui Observantissimus

T. J. MATHIAS
Anglus.

Dabam
E Villâ Surrentinâ
Prope Neapolim
Horis Septembribus
1829.

PRÆFATIO

OPUSCOLI

(Romæ privatim excusi anno 1818)

CUI TITULUS

» LYRICA SACRA

EX HYMNIS ECCLESIÆ ANTIQUIS EXCERPTA. »

NEMO est, ut opinor, aut ingenii cultioris, aut moribus et doctrinâ libero dignis paullò instructior, et in sacris literis versatus, qui non aliquando secum et fata et fortunas orbis Christiani penitiùs contemplari voluerit. Sin verò, aut stimulis ingentibus, aut Musarum monitis, aut quiete placidâ parùm contentus, aut fato quodam delatus, Arnum et Fæsulanos illos colles, et Tiberis ripas, et æternam ROMÆ sedem feliciter invisit, næ ille profectò virtutem ejus antiquam, et merita, et religionem, et gloriam, et templa, et ritus, et concentus sacros miratur, dum tantæ

urbis textum vix enarrabile animo ardentiore amplectitur,

Dum singula lætus
Exquiritque auditque virûm monumenta prio-
(rum.

Regere imperio populos, ut olim, Romanis jam negatum sit, fateor; sed Paci morem quendam et cultum imponere, sed artibus expolire, sed æra excudere non aliàs molliùs spirantia, sed vultus de marmore vel vivos educere, coloribusque egregiis nunc homines nunc deos effingere, hoc Romanæ est sŏlertiæ, hæc Romanis, hæc Italiæ propria concessa sunt dona. Sapienti quidem melior literarum atque artium, quam regnorum, visa semper est conditio, utpote quæ nec culpâ nec imperio *tyrannorum* (luxuriem licét in flagitiis, et in suppliciis crudelitatem, et in rapinis avaritiem, et in contumeliis superbiam effrænaté undequaque exercuerint) funditús aut opprimantur unquam aut extinguantur.

Aliis alia grata sint studia; mihi inter templorum moles liberiús spatiari, aut picturis non inanibus animum inhiantem pascere, aut

melioris ævi relliquias, marmora et simulachra (signa nimirùm postibus *Gallorum* superbis direpta at *Jovi* RESTITUTA * *proprio*) iterum atque iterum avidè contemplari, aut denique, uberrimo quasi de fonte, concentus sacros haurire liceat;

Dum per templi aditus divæ spectacula pompæ
Lucis et umbrarum dant retegenda vices,
Fulgentemque patres (sequitur dum turba canentum)
Supplice et exorant voce genuque crucem.

Loci profectò religione commotus, quotiescumque principem illam (Apostolorum principe et pleno Apostolorum consessu omni ex parte dignissimam) intravi Ecclesiam *a*, vesperâ ingravescente, cereis aurata per laquearia noctem vincentibus, dum per ampliora spatia vocem totus volutabat chorus, quanto tremore perculsus, quantâ potius voluptate perfusus, obstupui! Cum autem chordis gravioribus et cantu pleniore sanctissimum intonuit melos, cum DIEM IRAE, et sæculum in

* A. D. 1815.

a Sancti Petri.

favillâ *a* solutum, et tubam mirum per sepulchra spargentem sonum, (Morte et Naturâ stupentibus!) et mundum judicanti Deo responsurum, totus ille concinuit et concelebravit chorus, gaudia quædam, terras nec spectantia nec redolentia, pectus tacitum pertentavere, dum vel ipsa cælorum penetralia paullulúm quasi patere visa sunt,

Veggendo in quell' albòr balenar Cristo! *b*

Auspiciis procul dubio majoribus, precibus imo de corde effusis, verbis ardentioribus, et linguâ et mente et sensu et vigore propriis, Deum præsentiorem Ecclesiæ adoraverunt patres. *c* Hinc vivæ voces, hinc (ut verbis, a Theologo *d* illo prægrandi in Patmo olim de cælo clariùs exauditis, utar) quasi *lampades erant ante thronum Dei ardentes.*

a Στοιχειων εν ριπη
ροιζηδον εμπεσουμενων!

b Dante Parad. C. 14.

c Gregorius Nazianzenus, Basilius, Chrysostomus ec. » Schiera di cotanto senno! »

d Ἰωαννης ὁ Θεολογος!

Ecquis Canticum illud Ambrosianum, *Te Deum laudamus*, vel numeris metro solutis, Angelis τρισαγιον sonantibus, auribus atque animo imbiberit, qui non in illo lyrici carminis onera et majestatem sustineri lubenter agnoscat? Tot verò et tanta laudum divinarum argumenta non uno elaborata sunt artificio; non cultus idem, non unus est color, nec par in omnibus prælucet gratia. Sed, nescio quo modo, mihi Hymnorum antiquorum seriem in manus sumenti, in quibusdam illorum, rariùs et curiosiori quâdam felicitate, vel *leoninus* ille, qui dicitur, (materiâ scilicet conveniente) legenti aliquando sese commendat rythmus. Et profectò cui non commoveatur animus audienti,

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulchra regionum
Coget omnes ante thronum! *.

Sed foliis hisce sacris (modo ita loqui liceat) violæ vel nigræ amænior quædam sub-

* *Ex Hymno, cui nomen* » *Dies Iræ* ».

lucet purpura. Cum enim cæli indulgentiam et *Martyrum candidatum exercitum* et aureum Solis Christiani jubar vel ortum vel oriturum concelebrat, sæpiùs plectro molliore dulcem Horatianæ testudinis sonum sancta non dedignata est temperare Ecclesia. *Paucula* igitur, eruditis auribus non indigna, veterum lyricorum sapore quodam tincta, remotioris ævi delicias, excerpta hîc invenies carmina. Jacent interea sine nomine, et famæ et fortunæ terrestri pariter ignoti, sanctissimi jacent vates; propriam quærebant olim a Deo gloriam, acceperunt mercedem suam æterni æternam:

Deo pleni, tacitâ quem mente colebant,
Fuderunt dignas adytis è pectore voces.

T. J. Mathias
(anglus).

Romæ mense Januar. 1818.

FINIS.

INDEX.

Ode, Thomæ Orde..... pag. 3
Ode, Villa (dicta) Formiana..... 7
Ode, Lodovico Godard..... 11
Notæ..... 15
Josepho Capyciolatro..... 18
Josepho Capyciolatro..... 19
In Effigiem Josephi Capyciolatri..... 21
Elegia, Monasterium Dilapsum..... 22
Psittacus..... 26
Mors Otelli, Felis egregii..... 31
Ad Pantalonem, Felem Dilectissimum..... 32
Josepho Capyciolatro..... 34
Ob mortuum Pantalonum..... 39
Gualtero Scott..... 44
Thomæ Stewart..... 47
Præfatio Opuscoli..... 52

PUBBLICATI ULTIMAMENTE IN NAPOLI

Componimenti Lirici de' più illustri poeti d' Italia, dal Dante al Pignotti, scelti da *T. J. Mathias Inglese* ec. e disposti dal Raccoglitore secondo la scuola italiana ossia petrarchesca, e le scuole greche ed anacreontiche.

Napoli 1819, *in 4 volumi*, in 8-vo.

Vol. I. contiene, *Canzoni di Dante, Cino da Pistoja, Petrarca, Fracastoro, Poliziano, Lorenzo de' Medici, Ariosto, Bembo, Sannazzaro, Bernardo Tasso, Vittoria Colonna, Casa, Molza, Paterno, Amalteo, Torquato Tasso, Guarini, Chiabrera, e Testi.*

Vol. II. contiene, *Canzoni Petrarchesche e Canzoni Greco-Toscane, di Menzini, Filicaja, De Lemene, Maggi, Alessandro Guidi, Celio Magno, Lazzarini, Casaregi, Manfredi, Cotta, Venerosi, Frugoni, Gasparo Gozzi, Angelo Mazza, Varano, e Pignotti.*

Vol. III. contiene, *La scuola Greca ed Anacreontica; Canzonette di Lorenzo de' Medici, Poliziano, Chiabrera, il Ditirambo del Redi* detto *Bacco in Toscana, Canzonette di Menzini, Zappi, Passerini, Perfetti, Crescenti, Zannotti, Landi, Forteguerri, Aquilano, Del Teglia, Allegretti, Tornielli, Rolli, Frugoni, Metastasio, e Savioli.*

Vol. IV. contiene, *Sonetti più scelti de' più illustri Poeti dal Dante e Petrarca al Metastasio.*

PUBBLICATI ULTIMAMENTE IN NAPOLI

I. Poesie Liriche di T. J. Mathias, coi Drammi Lirici di Saffo sul modello Toscano, e di Carattaco sul modello della Tragedia greca antica con cori lirici, dall' inglese di Mason.

II. Il Cavaliero della Croce Rossa o La Leggenda della Santità, Poema in dodici Canti, recato da *T. J. Mathias* in ottava rima, dall' Inglese di *Edmundo Spenser.*

III. Poesie di Scrittori Illustri Inglesi, cioè,

1. Licida Monodia Funebre di Milton.
2. Il Castello dell' Ozio di Thomson.
3. La Salute o L' Arte di conservarla di Armstrong.
4. Il Bardo Citarista di Beattie.
5. Inno alle Najadi di Akenside.
6. La Mutabilità di Edmundo Spenser.

Recate in verso Italiano da T. J. Mathias, Inglese.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 097 936 9